

IN NOMINE JESU!
EXERCITATIONUM ETHICARUM
DISPUTATIO IV.

De

**BONIS SUM-
MUM BONUM CONCO-
MITANTIBUS**

Quam

PRÆSES

M. JOHANNES *Deutschmann*

Jütrebocensis Saxo.


ET RESPONDENS

CHRISTIANUS BARTHESIUS

Colb rgâ Pomeranus

publicè proponunt

In Auditorio Minori Ad d. i. Novemb.



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS HAKEN, M.DC.LI.

25



I. N. J.

EXERCITATIONUM ETHICARUM
DISPUTATIO IV.
DE BONIS SUMMUM BONUM CON-
COMITANTIBUS.

Wittebergæ Ad d. 1. Nov. Anno 1651. publicè proposita.

Præf. M. JOHANNE Deutchman Jütrebocensi
Respond. CHRISTIANO BARTHESIO Colbergâ Pomerano.

I.

EGimus hactenus de Summi Boni Practici naturâ in se specta-
tâ; egimus pariter de immediatis S. B. Effectibus: restant in
priori Ethicæ parte, quæ Eudæmonologia nuncupatur, ea
solum Bona, quæ vulgò dicuntur *Concomitantia*.

2. Dicuntur ea partim Bona, partim *Concomitantia*. Boni
appellationem sortiuntur, non quod (1) fiat saltem *Φαυσιμῶς* &
apparenter talia, ut volunt *Stoici*, qui omnia hæc bona concomi-
tantia & externa negant esse bona verè & propriè sic dicta, quod
prolixè probat Cic. in parad. 1. cum à boni definitione: *Quid est igitur,*
inquit, bonum? Si quid rectè sit, & honestè, & cum virtute, id
benè fieri verè dicitur; quod rectum & honestum, & cum virtute est, id
solum opinor bonum. Verùm dist. inter bonum morale & naturale.
Licet enim virtus sit bonum morale, tamen non excludit bona na-
turalia. Sic communiter distinguere solent bonum in *honestum*,
jucundum & *utile*. *Aristot.* etiam l. 1. c. 8. dicit, quod bonorum
tria sint genera, *alia externa, alia corporis, alia animi*: inter quæ a-
nimi bona imprimis quidem & maxime propria (non tamen sola)
sint bona. Tum *ab inductione*, quia neq; voluptates, corporis bo-
na, neq; divitiæ, fortunæ dona, bonitatis rationem obtineant.
Hoc ipsum ita videtur probare & asserere. *Nunquam enim, scribit,*
me hercule ego neq; pecunias istorum, neq; tecta magnifica, neq; opes, ne-
que imperia, neq; eas, quibus maxime adstricti sunt, voluptates, in bo-
nis rebus, aut expetendis numerandas duxi: &c. Verùm dist. inter mo-
deratum & licitum horum bonorum usum, & inter eorundem illicitum

1

2177

tum & immoderatum abufum. Tum ex horum bonorum effectu. *Potesne*, pergit, bonum cuiquam malo esse, aut potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus? Atq; ista omnia talia videmus, ut & improbi habeant, & obsint probis. Verum iterum loquuntur hæc de abufu, non de vero usu, neque effectum essentialem & proprium, sed fortuitum & accidentarium indicant. Alia quoq; Stoicorum vel momenta vel exempla, quæ ibidem Cicero adducit, non sunt majoris ponderis sed facillioris adhuc solutionis.

3. *Neg.* (2) ἐξοχιώσ & eminenter Bona, ut censent homines plebeji. Sed ut in illi defectu peccabant Stoici, ita hi in excessu aberrant homines illiterati. Servi enim qui sunt, servitute omnium malorum postremum judicant, cum Libertas, secundum Imperatorem, incomparabile sit precium; in libertate ergo summam famam constituunt felicitatem. Cum etiam secundum Plut. Sanitas sit maxime divinum & longe blandissimum condimentum, inde ægrotis ea summa videtur felicitas. Ita alii in aliis S. B. ponunt, sibi que proponunt. Verum S. B. in ejusmodi externis rebus non potest consistere, cum sit operatio animæ rationalis, bonum εὐαίων & εἰδιον, non externum sed internum, non fragile sed stabile bonum. Dist. igitur inter felicitatem popularem & civilem, inter communem & singularem, inter fortuitam & practicam s. acquisitam. Illam vulgus ex bonis externis vel corporis vel fortunæ æstimat; hanc v. Ethicus ex virtutum actione constanti judicat. Quod enim Felicitas moralis non sit corporis bonum, ex ipsa constat S. B. definitione, ubi exsertis verbis exprimitur, quod sit operatio animæ rationalis. Quod eadem etiam nequeat esse fortunæ donum, ex eadem definitione colligitur, dum dicitur, quod sit operatio secundum virtutem optimam & perfectissimam. Ubi hæc virtutis excellentia, summa ibi requiritur prudentia. Multum autem ubi prudentiæ, parum ibi fortunæ, quia summa ibi constantia, nulla inconstantia. Accedit & hoc, quod fortunam cæcam, brutam & insanam dixerint sapientissimi, sicut Cic. l. 2. ad Heren. testatur: Fortunam, inquit, insanam esse & cæcam & brutam perhibent Philosophi. Cæcam ob eam rem, quod nihil cernat, quod sese applicet: insanam autem ajunt, quia atrox, incerta, instabilisq; sit: brutam, quia cum multis in-

6072

commodè conflictatur, propter immensam pecunie cupiditatem. Cum
igitur talis sit fortuna, absurdum esset, felicitatem, quæ est præstan-
tissimum bonum, firmissimum, & constantissimum, cum ratione
& virtute semper conjunctum, illi adscribere.

4. Dicimus ergo (3) quod hæc sint bona *ὄντως & realiter*, &
quidem in suo genere. Illud colligimus (1) *ex bonitatis definitione*:
Cui n. convenit definitio, eidem definitum non potest denegari.
Atqui verum prius de his bonis, quia ipsis competit congruentia ad
nostram voluntatem, quæ libertatem, sanitatem & alia ejus gene-
ris bona expetit. E. (2) *ex bonorum distributione*. Non tantum da-
tur bonum morale, ut volunt Stoici, sed etiam Transcendentale
& naturale, ut ex Metaphysica est manifestum. Non datur solum
S. B. ut censent plebeji, qui ex quolibet bono felicitatem mensura-
re solent, sed etiam dantur intermedia bonorum genera. Non da-
tur solum bonum honestum, sed præter hoc etiam jucundum & u-
tile annotarunt Philosophi. (3) *ex horum bonorum applicatione*. Quia
n. concomitantur S. B. suam certam ut habeant quoq; bonitatem
necessum est, aliàs in S. B. etiam reperiretur vitium & malum, quod
est absurdum: Instrumenta & ornamenta S. B. essent vitiosa, & ta-
men apprimè necessaria, quod absurdissimum. (4) *ex eorumdem ef-
fectu & operatione*. Reddunt enim S. B. illustrius, efficiunt S. B.
appetibilius, ut ex definitione patebit. Hi autem effectus non sunt
mali, sed optimi, & cum omnis effectus testetur de sua causa, meri-
to horum bonorum dignitatem & bonitatem illi effectus compro-
bant.

5. Deinde dicuntur Bona Concomitantia. (1) *ex appellatione*.
Quia aliàs dicuntur externa. Externum a. quod est, illud interno
adjungitur, idq; concomitatur. Externa tamen dicuntur non tam
subjectivè, quasi omnia sint extra hominem, nam robur, pulchri-
tudo, sanitas, non sunt extra sed intra hominem; quàm *objectivè*,
quod omnia sint extra S. B. essentiam, & extrinsecus ad eam acce-
dant. (2) *ex ipsa natura & conditione*. Sunt n. felicitatis comites, nõ verò
ipsos constituunt felices: non pertinent ad S. B. principia, sed ad e-

ius instrumenta, non ad ejus constitutionem, sed exornationem, non ad essentiam, sed ad existentiam, (3) *ex ipsa definitione*, ut postea explicabitur. (4) *ex requisitorum essentialium denegatione*. Partim enim non sunt bona animi, sed corporis; partim non sunt *ἀνθρώπινα* & *ἄλογα*, ut sanitas, amicitia, honor &c: partim non sunt *κρηττά*, sed congenita & naturalia: partim non sunt *διὰ δύναμιν* ut divitiæ, & quæ alia requisita ipsis neutiquam conveniunt. (5) *ex subjecti distinctione*. Hæc n. bona l. sunt corporis l. rerum planè externarum; sed S. B. suam principalem in anima rationali sedem habet, extra essentiam ergò felicitatis hæc Bona Concomitantia reperiuntur, adeoq; meritò saltem Bona concomitantia dicuntur.

6. *Bona hæc S. B. concomitantia describuntur, quæ per accidens cum eo conjunguntur, quibus illud neg. perficitur, neg. augetur, sed illustrius redditur & magis appetibile efficitur.* Definitum in præcedentibus explicatum dedimus, ideoq; ipsam definitionem rudi atque brevi saltem via exponimus.

7. In omni definitione occurrit *Genus*, occurrit etiam *Differentia*. *Genus* h. l. non neglectum, sed subintellectum dicimus. Cum n. hæc bona concomitantia verè & propriè sint bona, ut antea multis demonstravimus, ideo de communi ipsum genus repetendum esse ducimus, quæ communissima alias Philosophorum est consuetudo.

8. *Differentia* desumpta est partim à *Subjecto*, partim à *forma communi*, partim à *proprio*, partim ab *effectu*. *Subjectum* horum bonorum concomitantium est ipsum S. B. quia Summo B. adjunguntur & cum eo conjunguntur. Quod a. alteri adjungitur, ejus meritò adjunctum l. concomitans dicitur; id v. cui conjungitur, communiter à Philosophis solet appellari *subjectum*.

9. *Forma communis*, quæ aliàs omnibus convenit accidentibus, est ipsa *extraessentialis conjunctio*. Non enim hæc Bona concomitantia Summi B. essentiam constituunt, sed eam jam perfectè constitutam & absolutam concomitantur, adeoq; cum ipsa felicitate extraessentialiter conjunguntur.

10. *Proprium* est, quod per *accidens* cum S. B. conjunguntur. Hæc n. ratione distinguuntur à S. B. immediatis Effectibus.

Licet

Licet etiã hi cū S. B. conjungantur, tamen hoc non fit per acci-
dens, sed ut in præcedenti dictum est disputatione, B. Conscientia
& voluptas honesta immediatè ex S. B. essentia promanant, ad eò
quidem, ut indissolubili nexu cum eo & non per accidens conjun-
gantur: nam ubi S. Bonum est, ibi etiam est B. Conscientia & hone-
sta voluptas. Hic v. dispar est ratio. Nam hæc S. B. concomitan-
tia Bona nec soli, nec omni, nec semper homini Felici adsunt, cum
saltem instrumenta sint & ornamenta, non ipsa essentia.

11. *Effectus* in descriptione enumeratur non unus. Nam (1)
describitur negativè, per duo distincta membra. Prius est, quod S.
B. his bonis concomitantibus nõ perficiatur. (1) quia est ultimum omnium
bonorum, quod suo complexu continet reliqua, ipsam v. non con-
tinetur ab alio (2) quia est præstantissimum. Quod autem summam
habet præstantiam, non potest ei alia accedere dignitas ab inferiori-
bus. (3) quia est perfectissimum. Perfectissimum quod est, alie-
nam & peregrinam non admittit perfectionem. Atqui S. B. est ta-
le. E. (4) quia animi Bona, secundum Arist. l. r. c. 8. sunt maximè pro-
pria & primaria bona, sunt bona interna: illa autem ab externis nul-
lam possunt accipere perfectionem. Cum omne agens sit nobiliss
patientè, omne perficiens perficiendo. Dist. tamen inter perfectio-
nem essentialem & accidentalem. Quia n. Bona concomitantia non
constituunt S. B. essentiam, sed per accidens cum eã conjungun-
tur, non illam, sed hanc ei perfectionem conciliant.

12. *Posterius est: Quod S. B. per hæc Bonã concomitantia non*
augeatur. Augeri n. posset, si fieri posset superius: Jam a. est sum-
mum, E. omne respuit augmentum. Interim tamen dupliciter S.
B. potest considerari. ratione *gratias. essentia;* l. ratione *et de ea g*
f. existentia. Priori modo nullum admittit augmentum, cum es-
sentia S. B. in indivisibili consistat, & sit præstantissimum ac perfe-
ctissimum bonum, cui nihil vel addi, vel demì possit. *Posteriori mo-*
do, quatenus in hoc l. illo reperitur subjecto, quoad alia atque alia
instrumenta & ornamenta, unus potest esse beator altero, sicut in-
dicat ipse Arist. l. 1. c. 10. *Magna a. & multa fortune beneficia vitam*
beatorem efficiunt. Nam & ipsa ornamento homini suapte naturã
esse solent, & eorum usus pulcher & bonus est: contraria v. illorum, vi-

tam beatam in angustias redigunt & corrumpunt. Etenim angustias inferunt & multas actiones impediunt.

13. (2) *Affirmative, & sic iterum duobus explicatur membris. Prius est, quod hac Bona concomitantia S. B. illustrius reddant: non scilicet respectu sui, quia nemo absque cognitione & perceptione S. B. possidere potest, cum in virtutis actione requiratur exactissima scientia & prudentia, proba voluntas & firmum seu constantissimum animi propositum: atque ea propter felix etiam suae felicitatis habet cognitionem, nec opus habet bonorum externorum testimonio: sed respectu aliorum hominum, ut magis magisque aliis innotescat, iisque & clariora & firmiora & multo plura conspiciant felicitatis signa. Hinc itidem dist. inter evidentiam intrinsecam & extrinsecam. Illa sibi satis constat ex S. B. essentia, nec opus habet peregrinis & emendicatis adjuventis: hac vero illustrior apparet, quo plura & majora instrumenta & ornamenta, tanquam felicitatis certissima indicia sese exerunt.*

14. *Posterius est, quod per hac Bona Concomitantia S. B. magis appetibile efficiatur. Ita enim humanum comparatum est ingenium, ut propter spissas intellectus tenebras non nisi externis excitetur & moveatur illecebris. Hinc nisi videat externum S. B. splendorem & varia felicitatis incitamenta & ornamenta, dubitat an ejusmodi homini felicitas sit tribuenda. Imò nisi virtuoso adsint fortunae bona, potius alium non virtuosum, qui tamen dives sit, ipsi solet praeferre vulgus. Licet enim propter suam naturam dignitatem S. B. sufficienter satis appetitum nostrum possit movere, si rationi velit parere, tamen, quia objecta movent sensus, Bona concomitantia, Summo Bono externum splendorem conciliantia, solent & sensum & appetitum excitare, ut non quidem ratione sui, sed ratione nostri, ob iudicii infirmitatem & appetitus imbecillitatem, S. B. reddatur amabilius & appetibilius.*

15. *Quoad divisionem Bona Concomitantia. Sunt vel Interna vel Externa. Et talia dicuntur non respectu felicitatis, quasi ea partim ingrediuntur, partim non ingrediuntur. Nam hac ratione omnia sunt externa, quia nullum horum bonorum ad S. B. constitutionem requiritur. Sed respectu felicitatis, cujus ratione alia sunt interna, cum ipsi inhareant; alia vero externa, cum ei saltim adhareant.*

16. *Internorum duo numerantur. Alterum respicit ipsam vitam & dicitur libertas.*

*libertas; quæ est facultas, quâ faciliè & expedite actiones virtutis omni loco & tẽ-
 pore, nec non in omni objectum sine impedimento exercemus. Paulo uberius Cic.
 in 5. parad. eam explicat, illam tamen brevitatis gratiâ omittimus. In nostrâ
 verò definitione occurrit partim *genus*, partim *differentia*. *Genus* est *facultas*,
 quæ non tantum naturalis h. l. intelligenda, sed etiam acquisita, cū externâ
 quoq; libertas instrumenta requirat, ut liberè secundū virtutē agere & vitia o-
 mittere possit. *Differentia* petita est *partim à forma*, quæ consistit in facili-
 mo & expedito exercitio. Non enim debet hæc facultas esse otiosa, sed nego-
 tiosa, non in quiete, sed in motu consistat: hinc dicitur, quâ faciliè & expe-
 ditè exercemus. *Partim ab objecto*, quod sunt actiones virtutis, quibus quan-
 do adsunt necessaria instrumenta & ornamenta, ut eas faciliè & expedite pos-
 simus exercere, tunc oritur libertas. *Partim à circumstantijs, tum ratione loci*,
 quod in omnibus locis occasiones virtutum debeamus observare & pruden-
 ter discernere inter locorū diversitates, quo sciamus, cui loco hæc vel alia vir-
 tutum actiones conveniant. Tum *ratione temporis*: Nam hujus quoq; oportu-
 nitas non est negligenda, quâ adeptâ virtutū actiones commodè edere possi-
 mus. *Virtus enim est, ut Plautus habet in Perside, ubi occasio admonet, disti-
 cere*. Et sicut apes peragunt opus suum non statis diebus, sed quoties cœli cō-
 moditas invitat: Sic etiam nos non debemus virtutum actiones certis qui-
 busdam diebus alligare, sed quoties temporis commoditas nos invitaverit,
 eas exercere. Tum *ratione objecti*, quod sc. virtuosæ actionis rectitudinem
 admittit. Ibi enim prudentiâ opus est summâ v. g. fortis non in quolibet
 sese injicere debet pericula, sed quando necessitas & honestas hoc ipsum re-
 quirat, nisi velit videri audax. Sic non cuilibet pauperi liberalitas est exhibē-
 da, cum multi horum beneficiorum sint indigni.*

17. Libertati opponitur *Servitus*, maximum S. B. impedimentum. Intelli-
 gimus a. servitutem potissimum non vulgarem, sed moralem, quâ quis sui
 non est Dominus, sed cupiditatibus & affectibus suis indulgendo in diversas
 rapitur partes. Ut enim libertas apud Philosophos est nomen virtutis, ita ser-
 vitus est nomen malitiæ. Hinc in genere ita definitur, *quod sit affectio animi
 subjecti, qui suo caret arbitrio*.

18. *Alerum respicit corpus & dicitur sanitas, quæ est corporis bonum,*
 non postremum, cum sit omnium bonorum corporis quasi funda-
 mentum. Definitur autem *quod sit bona corporis constitutio in equali
 temperamento omnium humorū & partium corporis conformitate consistens. Huic
 sanitati si conjungatur coloris svariitas & harmonica conformatio oritur inde pul-
 chritudo, quæ est apta figura membrorum, cum coloris quadam svariitate secundum*

Cicer.

Cicer. L. 4. Tuscul. quaest. Hæc non tantum nobile est virtutis exercendæ instrumentum, ipsamq; virtutem reddit amabiliorem, magisq; appetibilem iuxta illud: Gratiior est pulchro veniens è corpore virtus:

Sed etiam maximum ad virtutis studium potest esse excitamentum, ut *Lucius Apulej9 de Magia* l. 1. refert de Socrate, ipsum ultro suis svasisse discipulis, crebrò ut semet in speculo contemplarentur, ut qui eorum foret pulchritudine sibi complacitus, impendio procuraret, ne dignitatè corporis malis moribus dedecoraret: qui verò minus se formâ commendabilem putaret, ut virtutis laude turpitudinem tegetet.

19. *Externa bona subdividuntur in realia & personalia. Realia sunt vel possessionis ut divitiæ, quæ requiruntur ad S. B. non ut causæ principales, sed ut instrumenta & adminicula virtutis tum acquirendæ, tum exercendæ; vel dignitatis, quod est eminentia alicujus persona super alios homines propter virtutem ut habet Scal. Ex. 317. f. 3. Dividitur a. illa dignitas in generalem & specialem. Generalis in genere omnibus hominibus propter virtutem assignari potest. Estq; l. major l. minor. Major est dignitas cum magno & excellenti tam gradu virtutis, quâ numero illorum, quæ dignitatem illam merentur, conjuncta. Et iterum est l. honor l. gloria. Honor est dignitas, quæ à viro prudente & virtuoso per certa signa magnâ cum reverentiâ exhibetur illi, qui multis meritis atq; excellenti virtute in Remp. fulget. Genus h. l. est dignitas. Differentia desumitur (1) à causa Efficiente, quæ est vir prudens & virtuosus. Non enim à quolibet ingenio vel judicio honor verus suam habet originem, sed ex asciati & confirmati judicij vir sit necessum est, qui de viro honorando vult judicare: unde duplici afficitur elogio & encomio, quod debeat esse & prudens & virtuosus. (2) à causa instrumentali. Adhibere enim certa signa in honoris collatione solemus, qualia sunt varia dona, carmina & epitaphia: item, cedere loco, assurgere, caput aperire &c. (3) à causa formali. Debemus n. honorem honorato offerre magnâ cû reverentiâ. (4) ab objecto, quale sit honore afficiendû, quod debeat esse vir Emerit9, vir excellens & fulgens. (5) à fine, quare sit honorandus: sc. partim propter merita plurima in Remp. partim propter excellentiâ virtutis. Digni n. sunt honore quovis, qui meritis suis patriâ ipsâ dederunt sibi obligatâ. De Gloria: itè de dignitate minori, quæ est Laus & Bona Fama: ut & de speciali dignitatis bono, quod est Nobilitas, plura hic essent annotanda, sed illa non capit chartæ angustia.*

20. *Personale bonû sunt Amici, qui itidè ad virtutis exercitiû & felicitatis usû requiruntur. Nisi n. habeam9 amicos, quibus cû conversationè instituamus, null9 ferè felicitatis futur9 est effect9, neq; usus virtutis poterit esse illustris. Hinc Cic. in Lali9 hanc maximè commédât amicitia, plurima; etiâ nostrû institutum illustrantia allegat, quæ ibi sunt legenda, cum disputatio nostra propter chartæ angustiam hic sit concludenda.*

*Ad Per-Eximium Dominum RESPONDENTE M. Amicib^{us}
suum dilectissimum.*

Plebs obscura solet felices dicere nummos,
Et numerat sortis munera sola suis.
O cives, clamat, quærenda pecunia primum.
Nil prodest virtus, possidet arca Jovem.
Sed tua BARTHESI bona sunt majora caducis,
Hinc fortis quod sint extera dona doces.
Sunt bona fortunæ, sunt corporis inclyta dona,
Ast quæ sunt animi, propria sunt hominis.
Talia si monstras BARTHESI, & talia præstas:
Ipsa tibi virtus propria dona feret.

in animitus vovet

M. JOHANNES Deutschman

In Honorem.

*Per - Eximij atq; Præstantissimi Dn. RESPONDENTIS
Amici sui singulariter dilecti.*

Gloria summa manet cunctos, qui culmina montis
Parnassi multâ sedulitate petunt.
Annon inde TIBI, Musarum castra sequenti
Mente indefessâ, summa parata putas?
Ingenij virtus splendescit maxima, doctis
Responsis quoniam limina nostra replet.
Pauca hæc ergo piis votis comitarier æquum,
Quæ video ad summos tendere in orbe viros
Vive Tuis, mi BARTHESI, patriæq; Tibique,
Accrescant anni, crescat & ingenium.

Hac pauca

deproperat

M. JOHANNES FABRICIUS Bran-
deburgensis - Marchicus.

Gleich wie in Martis Krieg kein Krieger wird gefunden /
Der ohne müß vnd streit den Feind hat überwunden /
Noch eh' gekrönet ist / er habe denn durch fleiß
Erlitten Sonnenschein / noch / Lummer / Frost vnd Eys.
Vnd

Vnd Cyfen noch dazin. Als denn wird er belohnet/
 Bellona zieret ihn mit Aemptern/ das er wohnet
 In ehr vnd Herrligkeit. Also auch in den Krieg
 Der Pallas (meine ich) trägt keiner unsern sieg
 Er habe denn zuvor gar Ritterlich gekämpffet/
 Vnd auff der Musenthron der Künste Feind gedempffet/
 Als den Apollo ihn die Krone hat bereit
 Vnd Ehre angethan nach manchen harten streit.
 Weil den von Jugend auff mit freuden unverzaget
 Die freyheit seinerzeit auch in den Krieg gewaget
 In Pallas weisen Krieg/ Herr Barths den meine ich/
 Darin Er manchen Kampff/ wie auch wol selber sich
 Ins freye Feld gestelt/ ganz dappfer ausgeführet/
 In worten vnd der that/ wie Solchen denn gebühret/
 Der nie zu falschen rath getragen seinen Sinn/
 Auch niemals müßig bliebn; Apollo wird forthinn
 Als Arg- vnd Künste Fürst Ihm rechte fruchte zeigen/
 Wie Er iemehr vnd mehr in Ehren höher steigen
 Vnd rühmlich leben kan/ hiermit so lebe Er woll
 Der Himmel mache Ihm mit reichen Seegen voll.
 Dieses übersetzet seinen werthen Freunde
 vnd Staubengesellen.

glückwünschend
 JOHANNES SCHULTETUS Crofn. Sil.

QUæ sit Boni natura summi percupis
 Eruere, BARTHESI fidelis, & carâ
 Theses tueri mente, quæque oggannunt
 Contra hic vel ille & iste, rite solvere
 Sic quod facis nisi non Bonum est pulcherrimum
 Progredere, & urge porro quam premis viam,
 Sic digna non deerunt tibi olim præmia.

Du. Respond. Amico & Contubernali dilecto facie
 bat gratulabundus L. Mg.

BARTHOLOMÆUS SCHULTETUS Stet. Pom.

F I N I S.

90 A 6406

ULB Halle 3
002 916 622




Sto

Retro V

VDMA





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13



E JESU!
M ETHICARUM
TIO IV.

25

SUM-
M CONCO-
TIBUS

ES
Deutschmann
is Saxo.

NDENS
BARTHESIUS
omeranus
ponunt

Ad d. i. Novemb.
ERGÆ,
IAKEN, M.DC.LL

